



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 17. Luxuria habet tristem, & amarum finem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

luntati obediunt, eorumque desideria complent. Luxuria filiquæ sunt, quibus maligni spiritus nutriuntur. His autem ventrem suum peccatores implere cupiunt: quia, præ nimio peccandi desiderio, his satiari non possunt: quanto enim amplius peccant, tanto amplius peccare desiderant. S. Euseb. Emisf. Sabbatho post. D. 2. Quadr.

Qui luxuriam exercet, portio diaboli est: nullæ enim sunt diabolo sapidiore cupediæ, quam corpus, & anima, luxuriosi. S. Ambros. l. 16. in Ps. 118. apud Fernandium in Gen. 3. Sect. 18.

Venatores hominum iniqui sunt spiritus: qui nimirum venatorum more, carnes quaerunt; dum quoslibet homines, ut carnaliter vivant, immaniter persequuntur. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 18.

Cum aliquando ad Sanct. Martinum puella quædam sisteretur, quam diabolus invaserat, sollicitatus magicis artibus alicujus adolescentis, qui illius expugnare pudicitiam conabatur: interrogatus diabolus à Sanct. Martino, cur non potius sceleratum juvenem, quam innocentem virginem, arripuerit? respondit: quia juvenis habet collegam meum, amoris dæmonem. Mendoza in 1. Reg. 5. v. 6.

§. XVI.

Luxuria pœnæ.

Dominus pluit super Sodomam &c. Gen. 19. 24. Vidimus in hac ipsa etiam vita gehennæ imaginem: tale est Sodomorum incendium; cujus rei testes sunt, qui illuc accesserunt. Contemplare, quam ingens hoc peccatum sit; ut opus fuerit ante tempus gehennam apparere. Isidorus Clarius l. 1. Or. 35.

Surgite fugiamus. 2. Reg. 15. 14. David, antequam flueret in delicias, leonem occidit, & ursum. 1. Reg. 17. 36. At delicijs deditus puerum fugit Abololonem. S. Chrysof. in Pl. 3. cui titulus: Psalmus David cum fugeret à facie Abololon filij sui: fugiebat filium suum David, quoniam castitatem fugerat: fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violaverat: fugiebat filium, quoniam legem Dei, quæ dicit, non occides, non adulterabis, fugerat. Mendoza in 1. Reg. 2.

Non mœchaberis. Matth. 5. 27. Cum vetabat Dominus homicidium, ipsius pœnam simul proponebat: modo autem vetans mœchiam, de supplicio nec facit verbum. Cur? tale est luxuriæ vitium, tam fœdum, tam sævum in sua mancipia; ut si vel solum præcepto cautum videatur, hoc satis sit, ut nemo inveniatur, qui illud non fugerit. Bæza t. 3. l. 4. c. 6.

Ece mulier, que habebat spiritum infirmitatis annis decem, & octo &c. Luc. 13. 11. En peccatoris inveterati imago. Sunt, qui tam assidue ex consuetudine delinquant; ut videantur spiritum infirmitatis habere. *Et imposuit illi manus v. 13.* Vidi sæpe viros, & fœminas, diu voluptatis indulgen-

tes; nec recedentes ab improbitate, nisi Dei manu fortiter flagellante. Escobar t. Mir. Chr. Obs. 1.

Uxor tecum bellum gerit? ingresso tanquam fera occurrit? linguam, tanquam gladium, accuit? res quidem valde molesta, ac difficilis, quod auxiliatrix adversaria facta sit. Teipsum tamen examina, numquid in juventute in mulierem novi quid attentaris, & quod mulieri à te vulnus inflictum est, curetur per mulierem. Mulier mala dabitur viro peccatori, ait Scriptura: & dabitur tanquam amarum antidotum, quod peccatorum malos humores consumat. S. Chrysof. in Pl. 3.

§. XVII.

Luxuria habet tristem, & amarum, finem.

Quam acerbus fructus luxuriæ, amarior felis, crudelior gladio! Quod si, quantumcunque sit, illa invitet mellis dulcedo: extrema fellis amaritudo si prævideatur; à peccando deterrebit. Sanct. Ambros. Exhort. ad Virg. Volve animo: cito præterit, quod delectat; & permanet sine fine, quod cruciat. S. Aug. ut de honestate mulier. c. 4. apud Barradium tom. 3. l. 2. c. 16. Dom. 12. Pent.

Parvum est, & ad horam, peccatum: longava autem est ex eo, & æterna, verecundia. S. Cyrill. Jerof. Cat. 12.

Veniet, veniet profectò dies, imò nox; quando libido ista tua vertetur in piram, quæ se perpeius ignis in tuis visceribus inextinguibiliter nutriat; & medullas tuas, simul & ossa, indefectivâ conflagratione depascat. B. Petr. Dam. ep. 6. ad Nicolaum 11. P.

Omnis dulcedo carnis in amaritudine finit, Drogo Ostiens. lib. de creat. & redempt. prim. hominis.

In extremitate ligni ardentis aqua exstillat. Plorabunt, qui malis nunc ardent amoribus. Bæringarius libro similit.

§. XVIII.

*Luxuriam vincendi motiva.**Ex Veteri.*

Tu eris super domum meam &c. Gen. 41. 40. Calcare libidinem, fugere luxuriam, omnesque voluptates corporis premere, ac frangere; hoc est principatum gerere totius Ægypti. Origenes hic.

Deus vester, ipse est Deus in celo. Jos. 2. 11. dicebat Jerichuntina meretrix. S. Cyrill. Jerof. Cat. 2. Deum suum dicere non audebat; eò quod se impuram sentiebat.

Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi euge, euge. Pl. 39. 16. S. Chrysof. hic: per eos, qui dicunt euge, euge, intelligere oportet eos, ad res turpes agendas incitant, & hortantur: qui statim pudore afficiuntur, quando eorum improbum consilium declinaverimus.